DE

SULPICIAE QUAE UOCATUR SATIRA

COMMENTATIO PHILOLOGICA.

SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE

AD UENIAM DOCENDI RITE IMPETRANDAM

PUBLICE DEFENDET

AEMILIUS BAEHRENS

PHIL. DR.

IENAE

IN AEDIBUS E. FROMMANNI.

MDCCCLXXIII.

De paruo et exigui pretii carmine scripturus sum, quod, quam uerum sit illud Ouidii 'habent sua fata libelli', plenissime ostendit: Sulpiciae quae uocatur satiram dico. quam cum ueteres philologi miro amore amplexi essent fouissentque (cuius amoris testimonia extant editiones plurimae, de quarum potissimis cf. Otto Iahnius in Iuuenalis editione minore, Berol. 1868, praef. p. 10 sq.), nostra aetate fere contemptui habuerunt. certe paucissimi eique ipsi obiter tantum et data occasione libello enarrando uel emendando studuerunt. quin eo usque despicatus iste processit, ut nuperrime Io. Corn. Ger. Boot Batauus carmen tam inelegans suo sibi iure antiquitati abnegare uideretur [cf. eius commentatio academiae Nederlandorum actis inserta 'de Sulpiciae quae fertur satira', Amstelodami 1868]. uaria de hoc commento iudicia prolata sunt: impugnabant illud tres, quantum equidem scio, uiri docti, Dominicus Carutti Italus ['Sulpiciae Caleni satira. Rec. D. C. Augustae Taurinorum 1872], Martinus des Amorie van der Hoeven Batauus*) [De Gids, tom. IV, Amstel. 1868, p. 408—410], Lucianus denique Mueller nostras [comm. Lucil. p. 283: 'cuius (Sulpiciae) spurium et saec. XV ab Italo nescio quo conscriptum carmen nuper inepte, ut solet, statuit Bootius Amstelodamensis']; fautor sane quam grauissimus ex-

*) huius recensionis notitiam I. C. Vollgraffio amico Capitolino debeo, excerpta humanissime Guil. du Rieu misit.

titit eidem Guil. Sig. Teuffel in egregio quem de historia litterarum Romanarum conscripsit libro [p. 645 ed. pr.]. itaque cum uerendum sit, ne auctoritati, qua merito hic uiri clarissimi liber floret, obsecuti iam plurimi, quibus neque tempus neque animus est acrius in hanc quaestionem inquirendi, carmen uere antiquum pro spurio habeant et supposito, ego haud ab re duco, oblata scribendi opportunitate totam rem retractare atque ostendere quam sint futtiles et reiectaneae Bootii rationes tantum non omnes, cum praesertim carmini ipsi hanc nostram opellam haud inutilem fore confidam. quodsi Teuffelii sententiam mutare mihi continget, operae pretium tulisse uidebor.

Fundamentum opinioni suae inde petiit Bootius, quod nemo adhuc poematium nostrum in codice aliquo manuscripto inuenit. primum enim editum est Uenetiis anno 1498 in libro qui nobilium aliquot poetarum Italorum carmina complectitur*). ibi in quinti quaternionis pagina ultima legitur:

Hoc uolumine haec continentur Opuscula
Gregorii Tipherni Poetae clariss. Opuscula
Iouiani Pontani Umbri Poetae Nenia
Iouiani Pontani Poetae Epigrāmata quaedam
Frãcisci Octauii Poetae de amorib' epl'ae elegãtissimae
Sulpitiae Carmina. LXX. quae fuit Domitiãi temporibus
Nuper per Georgii Merulae opera in lucem Edita.
Impressum Uenetiis per Bernhardinū Uenetū.
Anno Domini. M. CCCC. XCVIII.
Mensis Iunii Die undecimo.

eodem fere tempore, quo editio Ueneta prodiit, iterum satira excusa est in editione Ausonii Parmensi a Thadaeo Ugoleto instituta, cui subscriptum est: 'Impressum Parmae per Ange-

*) huius libri rarissimi exemplar Gottingense Antonio Klettio, uiro clarissimo, intercedente Ienam transmissum accuratissime contuli.

lum Ugoletum Parmensem Anno Domini 1499. Die. X. mensis Iulii'*). praeterea haec editioni Parmensi subiecta sunt:

Expliciunt Opera Ausonii poetae celeberrimi fragmētata: quae temporum incuria ad nos peruenerunt a Thadeo Ugoleto Parmensi diligenter recognita.

Idem Thadeus addidit eiusdem Ausonii opuscula infrascripta. Epigrammata uidelicet nōnulla.

Epistolam ad Paulinum.

Periochen Homericam.

Mosellā.

Opusculum de ludo Septem sapientum.

Catalogum nobilium Urbium.

Sulpitiam.

Atq; aliqua Ausonii Epigramata: quae dicunt' e bibliotheca Georgii Alexandri fluxisse.

quod ad editionis Uenetae attinet uerba supra adlata 'Sulpitiae carmina. LXX. quae fuit Domitiāi temporibus Nuper per Georgii Merulae opera in lucem Edita', haec Bootius scribit [p. 21]: 'indoctus editor, qui ex uno carmine septuaginta uersuum fecit carmina LXX, putauit se nouo inuento maiorem fidem facturum, si a Georgio Merulo repertum et in lucem protractum fingeret. nam Merula scriptores de re rustica, Plauti fabulas, Martialem aliaque e libris mss. primus ediderat atque paulo ante mortem codices in coenobio Bobiensi peruolutasse *putabatur*', inductus ille Tiraboschii [storia della letter. Ital. VI p. II p. 744] uerbis his: 'a lui [sc. Merulae] *par* che debbasi attribuir la scoperta di moltissimi codici fatta nel monastero di Bobbio l'anno 1494, di cui parla il Uolterrano'.

---

*) cum priuilegium huic editioni praemissum datum sit 'Die XXVIII Iulii MCCCCLXXXX octauo', apparet iam anno 1498 recensionem a Thadaeo absolutam fuisse; quare editio Parmensis non potest pendere a Ueneta.

Sed enim reuera Georgii Merulae Alexandrini opera plurimos libros in bibliothecae Bobiensis scriniis latitantes luci esse redditos, id extra omnem dubitationem ponunt uerba Georgii Galbiati editioni principi Terentiani Mauri ab eo factae praemissa haec [cf. Terent. Maur. ed. C. Lachmann, p. IIII]: ʻcum Bobii in coenobio diui Columbani iussu eruditissimi Merulae chronica et Caesarum diplomata euoluerem, . . . multa nobilium scriptorum uolumina (reliquiae erant Longobardorum) ex carcere perpetuo et tenebris in lucem eduxiʼ. neque ambiguum est quisnam fuerit ille Merula, siquidem in priuilegio a Ludouico Maria Sfortia, duce Mediolanensi, anno 1496 dato et Galbiati praefationi praemisso [Lachm. p. III] haec extant: ʻcum superiori anno, auctore doctissimo quondam uiro domino Georgio Merula Alexandrino, Georgius Galbiatus eius amanuensis inuenerit atque ex squalore et situ eruerit sex annotatos infra grammaticosʼ [Terentianum scilicet Maurum, Fortunatianum de carminibus Horatii, Uelium Longum de orthographia, Adamantinum de orthographia, Catholica Probi, Cornelii Frontonis elegantias]. itaque Galbiatus ex omni numero auctorum a se inuentorum scripta ad grammaticam latinam spectantia quae ederet sibi elegit: de ceteris illis ʻnobilium scriptorum uoluminibusʼ extat testimonium iam a multis in partes uocatum Raphaelis Uolaterrani in commentariorum urbanarum libro quarto [folio LVI primae editionis Romanae anni 1506; cf. Lachm. l. l. p. V]: ʻBobium ad Appennini iuga situm ubi nobile Coenobium a Theodolinda regina longobardorum extructum. Hic anno M. CCCCLXXXXIII huiuscemodi libri reperti sunt. Rutilius Naumatianus. Heroicum Sulpici carmen. LXX. epigrammata Terentianus Maurus de litteris syllabis et metris omnis generis: Cesius: Bassus: Ueluis longus de orthographia: Adamantius: Martyrius de. B. littera et muta. v. uocali: Probi. catholica Corneli

Frontonis elegantiae latinae . . . . . quorum bona pars his annis proximis a meo Municipe Thoma Phaedro bonarum artium professore est aduecta in urbem'.

Hic cum commemorentur eadem quae Galbiatus Bobii se reperisse adfirmat scripta, puta Terentianum Maurum aliosque grammaticos, nihil obstat quominus 'multa' illa 'nobilium scriptorum uolumina' ea fuisse statuamus quae enumerat Uolaterranus. nam Ludouicus Sfortia, cum in priuilegio isto a. 1496 dato 'superiori anno', id est, a. 1495 codices illos repertos esse dicat, aperte errat, propterea quod Merulam iam mense Martio anni 1494 mortem obiisse sat constat [cf. Tiraboschius l. l. p. 746]. fidem igitur habeamus Raphaelis editioni principi (nam posteriores annum 1494 praue exhibent) anno 1493 inuentum adsignanti. quid autem apud Uolaterranum sibi uolunt uerba illa 'heroicum Sulpici carmen. LXX'? recte, puto, uiri docti, cum Sulpicius heroici carminis auctor plane sit ignotus, 'Sulpici' uel typothetae uel ipsius Uolaterrani culpa ex 'Sulpicie' corruptum esse censuerunt recteque eidem LXX numerum ad libellum nostrum septuaginta uersibus constantem rettulerunt. quem numerum ne ad id quod sequitur 'epigrammata' pertinere putes, ea re prohiberis quod illa XXIV numero fuisse infra uidebimus. ceterum paene adducor ut credam Sulpiciae uersus eo fere titulo fuisse insignitos in codice Bobiensi, qualem exhibet Raphaelis index, scilicet hoc: 'heroicum Sulpicie carmen. LXX'. nam ita demum explicari potest, quomodo non tam indoctus quem Bootius uocat, quam inductus librarii nimia breuitate editor Uenetus imprimendum curauerit: 'Sulpiciae carmina. LXX'. sed iam uidendum est de ceteris editionis Uenetae uerbis his: 'Nuper per Georgii Merulae opera in lucem edita'. cum autem ipsum Merulam nunquam carmen emisisse pro explorato possit haberi*), uerba 'in lucem edita' pro 'in lucem eruta' accipienda

*) nam Bootium ita ratiocinantem [p. 21]: 'si (Sulpiciae satira a Merula)

esse patet. neque enim mirabimur, Merulae contigisse inuenti gloriam quae proprie debebatur amanuensi eius Galbiato. cui nostrae interpretationi fauent eiusdem editionis Uenetae uerba carminibus Pontani (nam haec excipit Sulpicia) subiecta haec: 'Sulpitiae carmina quae fuit Domitiāi temporibus nuper a Georgio Merula Alexandrino cū aliis opusculis reperta'. porro scimus, Merulam nonnullos scriptores Bobii repertos sibi edendos quasi reseruasse. ita certe Galbiatus in fine praefationis ad Terentianum: 'quod uero nobis superfuit, diligentia et acri iudicio Merulae ... peremendatum accipies'. et Politianus in epistula ad Merulam missa [cf. Politiani epist. lib. XI 2 fin.] haec scribit: 'illud me fateor ualde mirari, scripsisse ad me familiares quosdam tuos ... te .. sustulisse animos de libellis quibusdam modo repertis .... cur tantum libris iis censeri te postulas, quos auspicio Ludouici Sfortiae sapientissimi principis inueneris? cuius tu beneficium si supprimes, quod patere quam latissime debet, magnam profecto in te calumniam concitabis'. cui ita respondit Merula [ibid. ep. 5 fin.]: 'caeterum ut ad libros redeam, quos auspicio Ludouici principis excellentissimi a situ et propinquo interitu uindicauimus, quid reum calumniae me facis? quasi beneficium supprimere uelim. publicaui auctorum nomina et operum titulos. gestiunt credo umbrae et scriptorum manes, ad quos diligentiam et fidem Merulae iam peruenisse puto. an existimas ex ingenio, si non tuo, certe multorum me esse qui, si thesauros hos inuenissent, iterum eos defodissent?' hic de codicibus Bobii repertis

---

inuenta fuisset, mirum eam non legi in Ausonii editione quae prodiit Mediolani apud Ulricum Scinzenzeller 1497 cum praefatione Georgii Merulae' non est quod pluribus refellam, siquidem neque mihi neque uero Caruttio plurimas Italiae bibliothecas perscrutantibus hanc editionem oculis inspicere licuit. neque Bootius eius exemplar potuit nancisci. itaque pro fabula typographica habenda est; cf. Caruttius l. l. p. 9 et 25.

agi in propatulo est; quippe eius rei rumor late dispersus hominum expectationes mire excitauerat. sed simul inde luce fit clarius, Merulam librorum illorum nonnullos domum suam abstulisse [cf. et Am. Peyron, Cic. fragm. p. Scaur. p. XXI] ibique retinuisse, eo scilicet consilio, ut quae ipse euulgare animum induxerat ea ne alius praeoccuparet. sed quominus ipse ederet, morte prohibitus est; nam uno mense, postquam respondisset Politiano, diem supremum obiit. qua in re illud ualde dolendum est, quod ad quosnam codices eius peruenerint ignoratur. quamquam a uerisimilitudine non plane aberrare nos putamus, si eos uel ad Merulae amicos iure hereditatis delatos uel Ludouici Sfortiae, cuius auspiciis coenobium Bobiense perquisitum esset, bibliothecae insertos asserimus. sed utut haec res se habet, coniunctis Uolaterrani et editoris Ueneti testimoniis non iam in dubium uocari potest, lectam fuisse in codice quodam Bobiensi Sulpiciae satiram, cum praesertim leue ac friuolum sit hominibus nullo falsationum crimine oppressis negare fidem.

Difficilior est quaestio de codice ab Ugoleto adhibito. nam concedendum est Bootio, uerba ad calcem editionis Parmensis [cf. supra] adiecta: 'atque aliqua Ausonii Epigrammata: quae dicuntur e bibliotheca Georgii Alexandrini fluxisse' non posse simul ad Sulpiciae quae praecedit satiram referri. nam p. LXXV^{b} eiusdem editionis post uerba 'finiunt Sulpitiae dicta' subicitur 'epigrammata Ausonii quae feruntur emanasse e bibliotheca Georgii Alexandrini Uiri de lingua latina Benemeriti'. ad sola igitur epigrammata haec uerba pertinent. quae cur addita sint breuiter dicam. sedecim ex illis XXIV epigrammatis iam uulgata sunt in Ausonii editione Ueneta anni 1496, in cuius praefatione Bartholomeus quidam Merula Auancio editori haec scribit: 'ego uero eidem [Tacuino bibliopolae] tua causa polliceor me daturum esse

nonnulla ipsius Ausonii poetae epigrammata in calce operis collocanda, quae superioribus annis elegantissimus poeta noster ueronensis Dominus Franciscus Nursius a Secretis excellentissimae Corneliae gentis Reginae Cypri Mediolani inuenit, meque pro mutua beneuolentia, quae summa est inter nos, illis libenter impertiuit. Uolo igitur ut, quae alii occultant, mihi sint cum omnibus communia'. Mediolani igitur cum Nursius epigrammata illa a possessore suo occultata inuenisse dicatur, ultro mihi suspicio orta est, in Georgii Merulae bibliotheca furtim ea descripsisse Nursium. qua cum coniectura egregie facit temporis computus. nam qui a. 1496 scripsit 'superioribus annis', potuit cogitare de anno 1493 uel 1494. haec igitur XVI epigrammata ab Ausonii Ueneta anni 1496 primum exhibita cum fama ferret ex Georgii Merulae bibliotheca fluxisse, quid mirum est eius rei commemorationem fecisse Thadaeum ut, quemadmodum Caruttius ceteroquin de hac quaestione aliter arbitratus [l. l. p. 26] bene dicit, primo ac uero repertori illa restitueret? sed unde octo epigrammata, quae sedecim illis noua adiecit, acceperit non magis exposuit Thadaeus quam unde Sulpiciam. sed hanc quoque difficultatem tollere posse mihi uideor. ante omnia autem tenendum est, Th. Ugoleti fidem extra omnem dubitationem esse positam, ut de eo tamquam carminis nostri auctore nemo bene sanus cogitaturus sit. itaque cum neque illud statuere liceat, ex Ueneta anni 1498 Sulpiciam esse repetitam [cf. notulam p. 3], consectarium est, ex libro aliquo mss. eam protulisse Ugoletum. qui cum in praefatione affirmet se ad ludum septem sapientum et catalogum nobilium urbium emendandos usum esse codice optimo a Tristano Chalco sibi suppeditato cumque in editione ipsa ludum et catalogum primum Sulpicia, deinde epigrammata illa XXIV sequantur, haec duo quoque opuscula ex ipso Chalci codice

prodiisse mihi quidem uerisimillimum est. quid enim? nisi in Ausonii codice inuenerat, quo tandem iure in Ansonii editione Sulpiciam excudendam curauit Ugoletus? nam Bernhardinum illum Uenetum bibliopolam, qui immixto nouellis poetis carmine antiquo atque inedito splendorem aliquem libro suo adicere uoluit, facilė excusabimus: in Ugoletum, strenuae et accuratae doctrinae uirum, non cadit talis ratio. sed uide mihi porro. Chalci codicem ludum et catalogum continentem adhibuit Thadaeus, in huius editione ludus catalogus Sulpicia epigrammata sese excipiunt, in libro Bobiensi fuisse Sulpiciam et epigrammata Uolaterranus est auctor: nonne hinc maxime fit probabile, Chalci codicem et librum Bobiensem unum fuisse eundemque? cum autem nobis posteris semper conflictandum sit cum pessima illa anteriorum editorum consuetudine nihil certi de codicibus adhibitis tradendi, noli premere quod non uerbis apertis affirmat Ugoletus de Sulpicia et octo nouis epigrammatis in Chalci codice extantibus: ille solummodo quae Ausonii opera iam nota quibus nouis subsidiis innixus emendatiora dederit, in praefatione sua docet lectores. multo uero minus urguendum est, Uolaterranum cum Sulpiciam et epigrammata commemoret plane tacere de Ausonio: nam ille scriptores nouos et antehac incognitos Bobii repertos enumerat. supra autem [p. 7] ostendi, Georgium Merulam plures codices Bobienses domi suae retinuisse, inter quos librum illum Sulpiciam epigrammataque continentem fuisse eo fit probabile, quod inde Nursius sedecim ex his descripsit. Merulae libros uel ad eius amicos uel in Ludouici Sfortiae bibliothecam uenisse itidem supra posui. potuit igitur Tristanus Chalcus, quem discipulum et successorem Merulae fuisse tradit Saxius [onom. litter. II, 499] codicem illum hereditate accepisse, potuit etiam intercedente parente suo Bartholomeo Chalco, secretario ducali, [de quo cf. Tiraboschius

l. l. VI p. I p. 18] ex Ludouici Sfortiae bibliotheca sibi commodatum Ugoleto utendum praebere. has ratiocinationes meris coniecturis superstructas esse nemo melius intellegit memet ipso, sed easdem, cum alia ex alia sit ducta singulaeque inuicem sese tueantur, probabilitate haud carere mihi concessuros confido peritos harum rerum iudices. primae igitur huius dissertationis nostrae partis haec est summa: *secundum testimonia Raphaelis Uolaterrani et Bernhardini editoris Ueneti non potest negari, Sulpiciae satiram extitisse in codice Bobiensi, hoc eodem codice probabile est usum esse Thadaeum Ugoletum in editione Parmensi.* sed antequam ex his dumetis ad amoeniores regiones pedem proferam, duas res uideo breuiter mihi tangendas esse. nam dixerit quispiam: si libellus noster in chartula Bobiensi legebatur, cur illum non indicat librorum, qui in diui Columbani coenobio asseruabantur, inuentarium ab Am. Peyronio [Cic. fragm. pro Scauro pp. 1—68] publici iuris factum? cui ipse respondebit Peyronius [praef. p. XXXIII]: 'uniuersos, quotquot in scriniis asseruabantur, codices satis apte et perspicue describit; neutiquam uero librorum lacinias quae paucis foliis constarent'. quod bene quadrat in codicem, qualem mihi cogitatione fingo, Ausonii ludum et catalogum ac praeterea Sulpiciam epigrammataque continentem. haud paucos autem auctores a Uolaterrano nominatos in inuentario isto circa ecclesiastica maxime scripta uersanti frustra itidem quaeres. at inquit Bootius [p. 18]: 'nonne inter codices uenerandae antiquitatis, qui Bobii seruati sunt, etiam recentiores chartas fuisse uerisimile est?' sane uerisimillimum est; sed enim nostrum poema in codice non saeculi XV, sed antiquo et characteribus langobardicis, ut plerique alii Bobienses, exarato extitisse, artis palaeographicae gnaris sat patet. certe langobardicam scripturam redolent litterulae 'u' et 'a' inter se mutatae [u. 25 'studio'

pro 'stadio', u. 45 'numantinas libycasque' pro 'numantinus libycusque'] itidemque 'f' et 'p' permixtae [u. 35 'inferat' pro 'imperat']. talibus uero minutiis impostorem nescioquem studuisse quo nobis offucias faceret, credat Iudaeus Apella, non ego.

Iam ad carmen ipsum transeamus, de quo ita Bootius [p. 9]: 'in tantillo carmine inueniuntur uitia metrica, errores in rebus historicis, comparatio inepta, quaedam barbare, nonnulla mire, permulta noue, plurima tam obscure dicta, ut diuinatione opus sit ad mentem scriptoris eruendam'. grauis accusatio, fateor; qua tamen ipsa, ni fallor, egregie libelli genuina ex antiquitate origo uindicatur. quid enim? tune ullum saeculi XV Italum doctum tam malum carmen condidisse censes? lege poemata eorum: adeo sunt culta et tersa et Ouidiana elegantia (cuius in nostro nec uola nec uestigium) fusa omnia, ut talem qualem Bootius describit fetum nemo, nisi cum risu et contemptu exceptus, emittere potuerit. sed neque antiquitati illa barbaries, quam sane ut nunc legitur libellus praefert, potest adscribi: solis debetur medii aeui monachis. certe ego, cum Iahnii usus editione identidem perlegerem carmen plurimasque eius difficultates interpretando tollere studerem, plerumque operam meam uanam inutilemque esse cognoui. deinde uero hoc atque illo loco coniecturam temptanti cum non deesset successus cumque ex facie turpi et deformi iam quasi pellucere uiderem formam honestam et candidam, intellexi quid factu esset opus. pertractato autem cum cura toto carmine, undique collegi quae priores editores uel critici adnotauerant. ex quibus tamen, ut uerum fatear, parum utilitatis redundat. nemo enim ea, qua oportebat, uel iudicii libertate uel sermonis latini notitia instructus ad libellum accessit. itaque nobis propositum est, in commentario quod iam exhibemus, quid poetria Romana dicere, quid non

dicere potuerit, disquirere simulque, quidquid ad explicandos illius uersus commemoratu haud inutile uidebatur, afferre, omnes denique locos, qui ex priorum poetarum imitatione fluxerunt, sedulo indicare.

Male et contra uetustissimarum editionum fidem carmen 'satira' inscriptum est. hinc factum enim est, ut, cum illam quam a satirico iure expectamus acerbitatem frustra quaererent, nonnulli, velut Casaubonus, iniquius de eo ferrent iudicium. est autem de hominum litteratorum philosophorumque sub Domitiano persecutione deque periculis Sulpiciae marito ingruentibus querimonia, ut etiam Musae uerba [u. 68 'pulchrum dolorem'] innuunt. hinc, si titulo opus est, reuocarim illum quem iam in codice Bobiensi libellus prae se tulit: 'heroicum Sulpiciae carmen'.

U. 1, 2 [ed. Iahn]: *Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas, fabellam permitte mihi detexere pacis.* uerba 'heroas et arma' secundum illud Uergilii 'arma uirumque' efficta habes apud Statium [Achill. II 80]. 'frequentare' est celebrare, laudare; cf. Scioppius ueris. II 10 et Gronouius ad Senecae cons. ad Marc. c. 3; Uulcat. Gall. Auid. Cass. 5, 7: 'scis uersum a bono poeta dictum et omnibus frequentatum: moribus antiquis' eqs. — editiones Ueneta, quam abhinc V, et Parmensis, quam P siglis significabo, 'detexere paucis' exhibent. non recte autem Iahnius Heinsii coniecturam 'detexere pacis' in textum recepisse mihi uidetur. nam 'fabella', id est, parua narratio cotidiano et humili sermone composita uel sine aliquo addito satis bene opponitur grandiloquo carmini epico ['heroas et arma']. et tradita lectio defenditur Horatii loco [sat. I 5, 51]: 'nunc mihi *paucis* Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri, Musa, uelim memores'. at, inquiunt, fabula illa XLVII [uu. 11—58] uersibus, non hercle paucis, constat. sane, si per se spectatur; ubi uero cum aliis car-

minibus heroicis comparaueris, haec singulis libris tot fere uersuum centurias, quot illa sola decadas, exhibere inuenies. ut uero 'paucis' optime potest optinere locum, ita illud 'pacis' ipsum non caret offensione. nam, ut recte obseruat Cannegieterus [misc. obseru. VI p. 353 sq.], non pax, sed bellum carmine nostro suadetur; uide quae notauimus ad uu. 62 et 66. — 3 *nam tibi secessi, tecum penetrale retractans consilium.* haec 'debent indicare' scribit Bootius [p. 12 sq.] 'in secretum locum tecum me contuli, ut tecum clam rursus deliberarem. in his et usus verbi 'tractare', quod redit u. 29, improbandus est, cum e u. 10 sq. appareat non ante poetriam cum Calliope locutam esse, et participium praesentis temporis pro futuro positum cum legibus sermonis pugnat'. nimirum ignorauit egregius iste Heinsii, Schraderi, Peerlkampii aemulator aut Catulli locum notissimum [XI, 9 sq.] 'siue trans altas gradietur Alpes Caesaris uisens monumenta magni' aut Uergilii [Georg. III 517 sq.] 'it tristis arator maerentem abiungens fraterna morte iuuencum', quibus locis prosae orationis scriptores dixissent 'uisurus' et 'abiuncturus'. scilicet poetae latini, quo uiuidiorem redderent orationem, non raro uerba eundi cum infinitiuo aut participio temporis praesentis uiae alicuius propositum designaturi coniunxerunt. neque potest stare quod Batauus doctus contendit, 'retractans' hic ualere 'iterum tractans'. quippe haud ignotum est quam saepe uerba cum 're' uocula composita pro simplicibus ponantur. quamquam sane fatendum est, hunc usum nondum optinuisse Sulpiciae aetate. ceterum ad verba 'tibi secessi' cf. Statius [Achill. I 654]: 'tibi pensa manu, tibi mollia gesto tympana' et Tacitus [dial. 9 fin.]: 'poetis .. in nemora et lucos, id est in solitudinem secedendum est'. illud 'penetrale' ualet 'arcanum', scil. propter miserum temporum statum, quibus libere dicendi non minus atque scribendi facultas esset adempta. — 4—6 *quare*

nec carmine curro Phalaeco nec trimetro iambo nec qui pede fractus eodem fortiter irasci discit duce Clazomenio. uersus hendecasyllabus cum ab inuentore Phalaeco clueat phalaecius [cf. Martian. Cap. p. 171, 7 Eyss. 'hendecasyllabi phalaecii'], non phalaecus, recte Schlaegerus [in commentatione de Sulpiciae ecloga Mitauiae a. 1846 emissa p. 23] reposuit 'Phalaeci'. multorum curis tractatum est illud 'nec trimetro iambo'. recte enim obseruarunt uiri docti, uocem 'iambus' nunquam apud poetas Romanos legi bisyllabam. unde correxit Lachmannus [comm. Lucr. p. 193]: 'nec trimetro nec qui fractus pede iambus eodem'. sed uel sic remanet difficultas quaedam plane intolerabilis. nam versus σκάζων recte potest dici 'pede fractus', id est, claudus; sed quid additum illud 'eodem' sibi uelit equidem mente non assequor. non tamen erat cur Bootius hoc neque excusari neque corrigi posse [p. 14] clamaret. nam 'eodem' ut nihil est, ita a poeta ne ineptissimo quidem scribi potuit. quamquam eo, quod duo Bootii sodales [ibid.] coniecerunt 'et olim' nihil adiuuamur, nam uereor ut quidquam proficiamus litterarum apices rimando: glossae uidelicet pessumdederunt hunc uersum. cum autem hendecasyllabus uocitetur 'carmen *Phalaeci*' et uersus χωλός is qui *duce Clazomenio* irasci didicerit, trimetro quoque adiectum fuisse crediderim quo origo eius declaretur. hinc refingo: 'nec trimetro *Pario*', secutus Horatium [ep. I 19, 25] 'Parios ego primus iambos ostendi Latio'. hoc cum monachus nescioquis ita explicasset 'trimetro pario' (iambo *superscriptum*), uides glossam expulisse lectionem genuinam. sed ut uitium parit uitium, illud nec 'trimetro iambo', ubi semel in uerborum contextum irrepsit, latiorem edidit stragem. quippe in uersu iam tali 'nec trimetro iambo nec qui pede fractus iambo' uel stupidissimum quemque librarium uox 'iambo' iterata debuit offendere. itaque sententia integra correxit aliquis 'pede fractus eodem'. nos,

qui iam fraudes homuncionum nouimus, reddemus ocius auctori 'nec trimetro *Pario* nec, qui pede fractus, *iambo*, fortiter irasci didicit duce Clazomenio'. et uidetur mihi poetria eo, quod ultimam 'iambo' uoculam ab eo quod est 'nec' diremit, ipsius uersus hipponactei ultimo pede claudicantis naturam depingere uoluisse. ceterum simillima uerborum diremptione Silius Italicus [IX 462]: 'sed, quos pulsabat Rhipaeum ad Strymona, nerui, auditus superis, auditus manibus Orpheus, emerito fulgent clara inter sidera caelo'. denique reprehendit Bootius quod nimia licentia 'Clazomenio' penultima producta scribitur, cum gentile graecum sit *Κλαζομένιος*, non *Κλαζομενεῖος*. sed quid non poetas, praesertim mediocres, cogit dira metri necessitas! — 7—9 *caetera quin etiam, quondam quae milia lusi primaque Romanus docui contendere Grais et salibus variare nouis, constanter omitto.* qui hos uersus adhuc tractarunt, parum totius huius praefationis sententiam percepisse mihi uidentur. nam cum incertum sit in uulgata lectione, ad quodnam poeseos genus cetera illa carmina referri debeant, Burmannus pro 'milia' scribendum coniecit 'mollia', id est, elegos. quasi uero Sulpicia prima puellarum Romanarum carmina amatoria composuisset! certe Propertius de Cynthia sua praedicat [II 2, 19]:

> et quantum, Aeolio cum temptat carmina plectro,
> par Aganippeae ludere docta lyrae,
> et sua cum antiquae committit scripta Corinnae
> carminaque Erinnes non putat aequa suis.

et Perillam talia potissimum carmina panxisse, innuunt Ouidii patris [Trist. III 8, 19 sq.] uerba:

> ergo, si remanent ignes tibi pectoris idem,
> sola tuum uates Lesbia uincet opus.

et ipso Sulpiciae tempore Pantaenis et Theophila in hoc maxime genere clarae fuisse uidentur [cf. Martial. VII 69]. Bur-

manni igitur commentum improbandum est. iam ad ʻcaeteraʼ uulgo subintellegunt ʻcarminaʼ. sed, di boni, ecquid noui est auctorem aliquem noua scripta meditantem omittere uetera? sententiarum conexum intuenti, quid poetria scripserit, facile apparebit. dixerat nempe, se nunc breuem fabulam uersu hexametro Calliopae esse narraturam ideoque nec hendecasyllabo nec scazonte nec hipponacteo metro usuram. quodsi pergit: illa etiam a me prima Latio inlata omitto, nonne hic alia uersuum genera tangi in propatulo est? sed haec sententia, quam mihi quidem aperte uelle uidetur Sulpicia, male expressa est, nemo unus cum de metris agi intellegat. itaque ego in uoce ʻcaeteraʼ uitium odoratus reuocaui ʻhaec metraʼ. nam facile a se impetrauit Sulpicia, ut tria metra prius commemorata quippe iam ex multo tempore poetriis Romanis usitata neglegeret: sed eandem, quae tot noua metra prima Romana feliciter tractauerit, eorum non uno aliquo Musam adfari, potuit alicui mirum uideri. unde rectissime se habet illud ʻquin etiamʼ male a Bootio [p. 14] reprehensum. quod autem ʻmilia metraʼ se primam docuisse puellas Romanas dicit, ex more poetico rem exaggerat Sulpicia, ut similiter nimis gloriose de se praedicat Ouidius [Trist. II 567] ʻinter tot scripti milia nostriʼ. iam, si ʻhaec metraʼ scripseris mecum, altera quoque difficultas tolletur. nam quamdiu illud ʻcaeteraʼ ad carminum genera rettulerunt, numquam illud ʻprimaʼ explicationem habuit: nunc, ubi carminum moduli sunt restituti, optime se habet ʻprimaʼ uox. certe de nulla poetria Romana traditum est quae (ut inter uiros Laeuius et Uarro ex prioribus, ex posterioribus Annianus et Septimius Serenus) polymetriae fuerit studiosa. sed cui rei illa metrorum commemoratio tam multis uerbis facta? nimirum Sulpicia cum Musa conlocutura ab eaque in re grauissima consilium petitura Calliopae honorem debitum uel eo praebere studet, quod nu-

meris sibi consuetis abiectis hoc utitur uersu qui proprius erat deae. notum quippe illud [Anth. lat. R. 664, 9] 'carmina Calliope libris heroica mandat'. ad uerba 'constanter omitto' haec Bootius [p. 14]: 'const. om., cum nihil aliud esse possit quam: in omittendo mihi consto, in perpetuum omitto, uereor ut menti dicentis aptum sit'. at non hoc uult dicere poetria, nunquam se posthac metris illis usuram, sed nunc sine haesitatione ea abicere. ita 'constanter' pro 'indubitanter' positum habes apud Cyprianum [epist. 66, 3 fin.]. — 10, 11 *teque, quibus princeps o facundissima calles, aggredior: precibus descende clientis et audi.* his quoque uerbis receptum id quod u. 7 coniecimus 'haec metra' nouam affundit lucem. nam antea ad 'quibus' uocem, cum non licuisset ex u. 1 cogitatione adsumere 'numeris', per latinitatem quidem non potuit subintellegi nisi 'rebus'; quod, ut leniter iudicemus, nimis generaliter dictum est. nunc uero sine ullo negotio supplebitur 'metris'. nam 'callere aliqua re' bene recteque latine posse dici, multis exemplis comprobauit Munckerus [ad myth. lat. p. 191]. his expositis meo mihi iure uideor supersedere refutandis uirorum doctorum ad u. 10 coniecturis. de adgrediendi uerbo cf. Uergilius [Aen. IV 92] 'talibus adgreditur Uenerem Saturnia dictis'. illud 'descende' est Horatii [od. III 4, 1]. 'princeps' autem audit Calliope, ut apud Hesiodum [Theog. 79] 'ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων' et Ouidium [met. V 662] 'finierat doctos e nobis maxima cantus'; et ita Caesius Bassus [ap. Priscian. X 36 p. 527 H] in II lyricorum: 'Calliope princeps sapienti psallerat ore'. — 12—14 *dic mihi Calliope: quidnam pater ille deorum cogitat? an terras et patria saecula mutat quasque dedit quondam morientibus eripit artes?* verba 'dic mihi Calliope' habes apud Claudianum [laus Serenae 1]. — dubius haeres, utramne lectionem, 'quidnam' [V] an 'quid non' [P], in codice scriptam fuisse

dicas. equidem, cui illud a correctore Italo prouenisse uidetur, ex 'quidnõ' elicuerim, quod sententiae magis congruum est, 'quid n͞c', id est, 'quid nunc'. verba 'patria saecula' fuere qui ad Uespasiani et Titi tempora referrent. quod cum per se, tum propter illud 'pater deorum' ineptum est. Iouem igitur cum designari uiderent, alii 'patria' illa 'saecula' explicatione carere opinati sunt: nam Saturni regis aetatem sibi restitutam gratulari potius quam dolere debuisse Romanos. itaque Hoeuenus, uir acutissimus, coniecit 'pristina saecula'. notum sane est, aurea sub Saturno rege saecula, quibus sponte omnia hominibus fluxerint, certatim laudibus efferri, sed eadem tamquam omnis inertiae pigritiaeque fautores, quippe quibus nulla ratione uixerint homines, uicissim reprehendi a poetis Romanis. tum demum, cum Iuppiter rerum erat potitus, ratione uixisse homines et artibus inueniendis studuisse, consentiens eorundem memoria est. hinc Gratius [cyneg. 5 sqq.]:

> post alia propiore uia meliusque profecti
> te sociam, ratio, rebus sumpsere gerendis.
> hinc omne auxilium uitae rectusque reluxit
> ordo et contiguas didicere ex artibus artes.

et Uergilius [Georg. I 121 sqq.], qui obuersabatur Sulpiciae:

> pater ipse colendi
> haut facilem esse uiam uoluit primusque per artem
> mouit agros, curis acuens mortalia corda
> nec torpere graui passus sua regna ueterno.
> *ante Iouem* nulli subigebant arua coloni eqs.

et u. 145:

> tum uariae uenere artes. labor omnia uicit
> improbus et duris urgens in rebus egestas.
> prima Ceres ferro mortalis uertere terram
> instituit, cum iam *glandes* atque arbuta sacrae
> deficerent siluae et uictum Dodona negaret.

hinc et Ualerius Flaccus [Arg. I 498 sqq.]:

siderea tunc arce pater pulcherrima Graium
coepta tuens tantamque operis consurgere molem
laetatur; *patrii* neque enim probat *otia regni.*

haec probe perpendenti apparebit quam recte ʻpatria saeculaʼ ad Saturni regnum referantur. et mihi, uerum ut fatear, cum sale quodam ac lepore interrogatum uidetur: ʻ*pater* deorum terris *patria* saecula reddit?ʼ iam illud disceptandum est, sitne latinum tale ʻterras *et* patria saecula mutatʼ. quod ego acerrime nego: nam duas res, quarum altera uolubilis, altera firma, haec praeterita, illa praesens est, inter se mutare uelle omnino dementia est. idem fere cadit in Heinsii et Broukhusii coniecturam ʻin patria saeculaʼ. bene recteque sic fere ex patrona sua potuit quaerere poetria: num Iuppiter ita terras mutabit, ut Saturnium aeuum quasi rediisse uideatur? lege ʻ*ad* patria saeculaʼ. nam ʻadʼ est ʻsecundum, exemploʼ, quemadmodum docent lexica. u. 14 ʻmorientibusʼ recte a multis suspectatum est. qui defenderunt, aut pro ʻmortalibusʼ aut, ut Burmannus et Wernsdorfius, pro ʻbreui perituris, ad mortem afflictis et sub tyranno in perpetuo mortis metu uersantibusʼ [coll. Petron. c. 98] acceperunt, quorum illud ab omni latinitate, hoc a loci sententia abhorret. uideo duas adhuc restare rationes, quibus possit explicari illud ʻmorientibusʼ. quod cum uoce ʻdeditʼ iunctum possis accipere pro ʻmarcentibusʼ, ut infra u. 56 ʻsomno moriuntur obesoʼ legitur. at illic rei incrementum [nostrum: dahinsterben], nostro loco status certus et perennis designatur. sin autem ʻmorientibusʼ ad ʻeripitʼ relatum interpreteris ʻut inde morituri simusʼ, uereor ne magis latinum sit ʻmoriturisʼ. itaque alii alia coniecerunt: nos Uergilii de Ioue artes terris donante uerba supra adlata ʻnec torpere graui passus sua regna ueternoʼ ueram Sulpiciae manum docuere: ʻquasque dedit quondam *torpentibus*ʼ, ad

quod supplendum est 'terris'. causa autem corruptelae ultima uoculae praecedentis littera 'm'. — 15—17 *nosque iubet tacitos et iam rationis egenos non aliter primo quam cum surreximus aruo glandibus et purae rursus procumbere lymphae?* 'tacitos' est 'mutos', ut pecus brutum. deinde P 'egenos', V 'egentes' praebent. hoc utique uerum esse, asserit Ouidius [met. XV 150] 'palantesque animos passim et rationis egentes'. uu. 16 et 17 plerique intellexerunt excusos esse ad similitudinem Horatii [sat. I 3, 99]:

cum prorepserunt *primis* animalia *terris*,

mutum et turpe pecus, *glandem* atque cubilia propter eqs.

'procumbere'; similiter auctor Aetnae [225] 'nec effusos in humum graue pascere corpus'. de glandibus cf. Gesnerus ad Claudiani XXXVI 43. — 19 *sed genus Ausonium Romulique exturbat alumnos.* hic quoque menda latent. cum autem 'Romulus' nunquam inueniatur correpta prima syllaba, Scaliger et Douza 'Remuli' coniecerunt, quod recte Bootius [p. 10] refutauit. qui quod proposuit 'Romaeque', potuit corroborare uersiculis Mariani, Lupercaliorum poetae [Rutil. Namat. ed. L. Muellerus p. 53]. nobis recte Scioppius [ueris. II 16] syncopam 'Romlique' statuisse uidetur [cf. L. Muellerus d. r. m. p. 366]. neque sententiae neque vero opposito illi 'conseruat' conuenire puto id quod est 'exturbat'. nam Iuppiter in pristinorum saeculorum ueternum reducendo Romanos non agris expellebat, sed funditus delebat. itaque emendo: 'Romlique *extirpat* alumnos'. — 20 sq. *duo sunt quibus extulit ingens Roma caput.* ita Uergilius [ecl. I 25]: 'uerum haec (Roma) tantum alias inter *caput extulit* urbes'. — 22—24 *sed uirtus agitata domi et socialibus armis in freta Sicaniae et Carthaginis exilit arces ceteraque imperia et totum simul abstulit orbem.* 'arma socialia' bella aut pro sociis aut in socios inita intelligi possunt. cum uero 'agitata domi' significet 'exer-

cita in Italia' [cf. u. 29], nouo illo addito '*et* socialibus armis' bellum extra Italiam gestum innui in propatulo est, ut ex. gr. de expeditone a Romanis aduersus Samnitas pro sociis facta cogitari nequeat, cum praesertim in tam generali historiae Romanae descriptione nullus ei locus sit. porro cum hoc ipso, quod de temporibus ante primum bellum Punicum agitur, 'arma' illa 'socialia' aut bella foris pro sociis suscepta aut illud, quod proprie sociale audit, bellum explicare uetemur, quid lectioni traditae faciamus incerti haeremus. est alterum quoque in versibus istis quod merito displiceat. nam 'exilire in freta Sicaniae' de virtute Romana dictum, licet audacissime hercle dictum sit, tamen aliquo modo ferri potest; at 'exilire in arces Carthaginis' de eadem usurpatum plane intolerabile est. Lachmannus autem, qui ob metricas rationes uulgatam lectionem 'Carthaginis exiit arces' [comm. Lucr. p. 208] reiecit, 'exciit' scribi iussit, ad quod 'Romam' mente suppleri uoluit. sed iam Bootio [p. 11] tam dura ellipsis recte erat offensioni. neque prius incommodum ita tollitur. rescribo: 'uirtus agitata domi *it* socialibus armis in freta Sicaniae et Carthaginis *excidit* arces' sensu aperto et claro. nam 'uictor Italiae populus Romanus cum ad fretum usque peruenisset' et Siciliae cupiditate accenderetur, 'specie quidem socios [Mamertinos] iuuandi, re autem sollicitante praeda Appio Claudio consule primum fretum ingressus est fabulosis infame monstris aestuque uiolentum'. lege Florum, ex quo [p. 29 ed. Iahn] uerba quae posui excerpta sunt. illud 'it' propter sequentia perfecta 'excidit' et 'abstulit' pro 'iit' sumendum est [cf. Uerg. Aen. IX 418 'dum trepidant, it hasta Tago' et L. Muellerus d. r. m. p. 399]. neque iambicae uoculae elisio sequente monosyllabo habet offensionem [cf. Lachm. comm. Lucr. p. 198]. exscindendi uerbum de urbe deleta usurpatum habes apud Uergilium [Aen. II 177]: 'nec posse Argo-

licis excindi Pergama telis' et [I 22] 'excidio Libyae'. ex eodem Uergilio Sulpicia et 'freta Sicaniae' [cf. Aen. I 557] et 'Carthagines arces' [cf. Aen. I 298; IV 347] traxit. de uersu sequenti ita Bootius [p. 11]: 'in carmine excusationem habet quod uirtus bellica Romanorum dicitur euersa Carthagine cetera imperia et totum simul abstulisse orbem, etsi hyperbole addito *simul* paene nimia est'. nos eo magis excusabimus illud quod auctorem Florum historicum secutam esse uidemus, cuius haec de Carthaginis excidio sunt uerba [p. 41, 26 sqq. ed. Iahn]: 'praemiumque uictoriae Africa fuit et secutus Africam *statim* terrarum orbis' et 'post Carthaginem uinci neminem puduit. *statim* Africam secutae sunt gentes, Macedonia Graecia Syria *ceteraque omnia*'. Caruttii coniectura 'cetera qua imperium' hinc non eget refutatione. — 25 sq. *deinde uelut stadio uictor qui solus Achaeo languet et immota secum uirtute fatiscit.* quae scripta esse patet non sine recordatione Ennii uersuum apud Ciceronem [de sen. V 14] seruatorum:

> sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
> uicit Olympia, nunc senio confectu' quiesco,

ubi 'quiesco' egregie Cobetus [nouae lectt. p. 199] restituit; nam uulgo contra Ennii sententiam a Cicerone indicatam 'quiescit' legitur. de Sulpiciae verbis audiamus Bootium haec [p. 12] disserentem: 'uictor in certamine Olympico, si sine aemulo relinquitur, languet et ignauia corrumpitur. uides tantum abesse ut comparatio rem inlustret, ut cum ea pugnet'. nimirum uir doctissimus illud 'immota uirtute' interpretatus est [p. 13] 'cum uirtus non moueatur'. nos qui 'immota uirtute' secundum Uergilianum uocis 'immotus' usum explicamus 'firma, intacta, integra uirtute', hanc comparationem sat aptam subesse putamus: ut equi, nobilis olim uictoris Olympiaci, senescentis languent uires, non languet uirtus, ita etiam po-

pulus Romanus totius terrarum orbis uictor iam senescens a belli muneribus, saluis tamen bellicis uirtutibus, ad pacis ornamenta excolenda se contulit. uerba tamen Sulpiciae uitio laborare certissimum est. nam quid uult illud 'immota *secum* uirtute'? miror uel Cannegieterum potuisse scribere [p. 367 l. l.]: 'secum autem fatiscit qui non ui ab aliis illata imminuitur, sed suis uitiis consumitur'. in eandem sententiam procliuus Hoeuenus contulit Uergilium [Georg. I 489] 'sola (cornix) in sicca secum spatiatur harena' et [ib. IV 465] 'te, dulcis coniunx, te solo in litore secum . . canebat', quorum locorum plane alia est ratio. nam equos uel homines senescentes solius corporis sui uitio tabescere, tam est secundum rerum naturam, ut additum paene risum moueat. itaque Heinsius 'senio', Frankenius 'segnis' coniecerunt, quod utrumque languidissimum est. rectam autem emendationis uiam potuerunt demonstrare uersus Enniani. notionem enim paene necessariam desideramus, puta equi, cum ille 'uictor stadio Achaeo' etiam cursor esse possit, homo autem subinepte, ut puto, cum hominibus comparetur. deinde illud '*et* immota' non probo. requiro enim particulam aduersatiuam. hinc emendaui: 'languet *ecus, set enim* immota uirtute fatiscit'. neque altius inspicienti haec nostra mutatio nimis uiolenta uidebitur; cf. Uergilius [Aen. V 394]: 'non laudis amor nec gloria cessit pulsa metu; *sed enim* gelidus tardante senecta sanguis hebet'. ceterum cum pro 'fatiscit' P V habeant 'facessit', fuerunt qui hoc pertinacius defenderent, idem atque 'discedit, abit' ualere dictitantes. quos accuratior sententiae contemplatio errorem potuit docere. multo uero minus audiendus est qui nuper in annalibus Italis [Riuista di philologia I, Torino 1872] 'senium uirtute facessit' [= repellit] proposuit: nam repellendi notio plane abest a facessendi verbo. — 27 sq. *sic itidem Romana manus, contendere postquam destitit et pacem longis frenauit*

habenis. cf. Petronius [c. 5] ‘hinc Romana manus circumfluat’. de toto loco ita Bootius [p. 14]: ‘duobus uitiis laborant verba “pacem longis frenauit habenis”. recte dixeris: frenare bellum, furorem, iram, similia; sed “frenare pacem” est insolitum. an putabimus Romanos paci frenum iniecisse, ne licentius exultaret? si hoc erat eorum consilium, potius uti debuerant *firmis* habenis quam *longis*, quo adiectiuo laxas, remissas habenas designari tum credam, quando boni scriptoris uel poetae auctoritate haec explicatio munita erit’. at notissimum est cum Uergilianum [Aen. I 522 sq.]: ‘o regina, nouam cui condere Iuppiter urbem *iustitia*que dedit *gentes frenare* superbos’, tum illud, pacis uocabulo interdum significari imperium [cf. Gronouius ad Tac. ann. XII 32 et lectt. meae lat. p. 41]. itaque Romani frenabant orbem pacatum ita ut laxas darent habenas gentibus. neque enim egere puto exemplis illud ‘longis habenis’, quamquam singulariter*) ut uidetur dictum. nam frena laxata per se longa [nostrum: lang wallende] sunt. itaque non opus est eo quod mihi aliquando in mentem uenit ‘longis harenis’, id est, in imperio longe prolato. ceterum cf. Lucanus [VII 12]: ‘populis frenosque furentibus ira laxat’. — 29 *ipsa domi leges et Graia inuenta retractans.* uerbum retractandi, ut supra u. 3, pro simplici positum est. ‘Graia inuenta’ intellege philosophiam; cf. Lucretius [I 136]: ‘nec me animi fallit *Graiorum* obscura *reperta* difficile inlustrare latinis uersibus esse’. — 30 *omnia bellorum terra quaesita marique praemia.* cf. Petronius [c. 119, 32]: ‘omniaque orbis praemia correptis miles uagus essurit armis’. — 31 *consilio*

*) non sum nescius, N. Heinsium in Claudiani epigrammate, cui ‘de mulabus gallicis’ est titulus, u. 5 ‘quamuis quaeque sibi longis discurrat habenis’ ex codd. restituendum commendasse. sed certiorem me fecit Ludouicus Ieepius, illud ‘longis’ in solis codd. Uaticano 2809 saec. XI et Uossiano 264 saec. XIII inueniri, cum libri Gyraldinus et Ueronensis saec. IX ‘nullis disc. habenis’ exhibeant.

et molli ratione regebat. nimirum a ueteris disciplinae militaris austeritate desciuerunt paulatim Romani artibus litterisque operam nauantes. illud 'molli' non sine recordatione uersuum Ouidianorum 'didicisse fideliter artes emollit mores nec sinit esse feros' scriptum est. — 32 sqq. *stabat in his, neque enim poterat constare sine ipsis. at frustra uxori mendaxque Diespiter olim 'imperium sine fine dedi' dixisse probatur.* de prioribus uerbis haec habet Bootius [p. 13]: 'populus Romanus stetit uirtute belli et sapientia pacis. itaque *stabat his,* non *in his,* et male sibi opponuntur *stare in his* et *constare sine ipsis.* si per metrum licuisset, auctor carminis scripsisset: stabat cum his, neque enim poterat constare sine his'. at enim bonus Bootius una cum reliquis editoribus criticisque non perspexit, 'stabat in his' per latinitatem ualere 'perseuerabat in his' (scil. ad Domitiani usque imperium). quod pro meo captu et sententiam habet planissimam et bene illi 'constare' opponitur. malum autem acumen et uix latinum, ut Bootio concedendum est, inest oppositis 'his' et 'ipsis'. quod noli dubitare quin librario debeatur. reuoco: 'neque enim *his* poterat constare sine ipsis'. in enuntiato altero, ubi P V 'aut frustra' tradunt, 'at' ab Iahnio ex Buherii [misc. obseru. VII p. 256] coniectura in textum inuectum est; non recte, ut mihi uidetur, cum de temporum mutatione u. 35 demum agere incipiat poetria. melius iam Cannegieterus [l. l. p. 367] scripsit 'haut frustra'. uerba 'imperium sine fine dedi' apud Uergilium [Aen. I 279] ad Uenerem, non ad Iunonem facit Iuppiter. itaque erant qui Sulpiciam 'uxori' scribentem memoria lapsam crederent, erat qui eam deceptam uerbis apud Uergilium sequentibus 'quin aspera Iuno' affirmaret, erat denique qui argutius quam uerius Iovem postea uoluntatem suam cum Iunone communicasse diceret idque comprobare illius uerba ad Uenerem data 'mecumque (Iuno) fouebit Romanos rerum dominos gentemque togatam'. nos qui experti scimus quantam

familiaritatem cum Uergilio contraxerit auctor, molestum illud 'uxori' librario tribuimus, egregio Burmanni commento 'Ueneri' adstipulati. cuius uocis quam facilis fuerit in 'uxori' deprauatio, recte nuper monuit M. Hauptius [in Hermetis uol. II p. 7]. — 35 sqq. *nunc igitur qui res Romanas inferat inter, non trabe sed tergo prolapsus et ingluuie albus, et studia et sapiens hominum nomenque genusque, omnia abire foras atque urbe excedere iussit.* de Domitiani in scriptores philosophosque saeuitia haec Suetonius [Dom. c. 10]: '(interemit) Iunium Rusticum quod Paeti Thraseae et Heluidi Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos uiros; cuius criminis occasione philosophos omnes urbe Italiaque summouit'; cf. omnino Alb. Imhofius in libro, cui inscripsit 'T. Flauius Domitianus' [Halis Sax. 1857, p. 102 sqq.]. ante u. 35 Iahnius lacunam statuit sine iusta causa. nam fabella, quam ille desiderauit, est tota illa narratio inde a. u. 20 usque ad u. 58. idem tamen, cum sententias non apte cohaerere [praef. p. 11] diceret, recte sensit difficultatem quam 'igitur' uox habet. cui Cannegieterus [l. l. p. 367] 'aliter' scribendo medebatur. nulla opus est mutatione, dummodo post illa 'excedere iussit' interrogandi signum ponamus. notum autem est, quam saepe 'igitur' in talibus interrogationibus summae indignationi exprimendae inseruiat. in uerbis corruptis 'qui res Romanas inferat inter' in diuersa omnia abierunt docti. recte putamus Scaligerum ex 'inferat' elicuisse 'imperat' recteque Dousam prauam latinitatem, quae est in illis 'inter res Romanas imperare', summouisse restituendo 'rex Romanos imperat inter', comparantem Propertium [III 32, 57] 'ut regnem mixtas inter conuiua puellas'. idem est iudicium Bootii [p. 13]. deprauatissima carminis uerba sunt illa 'non trabe sed tergo prolapsus'. quae qui duce Casaubono [de satir. poesi l. 3 c. 3] adinstar prouerbii graeci *οὐκ ἀπὸ δόκου, ἀλλ' ἀπ' ὄνου* (uel *ἀπὸ νοῦ*) *καταπεσών* dicta uoluerunt, eis uero quod respon-

deam non habeo nisi hoc, similitudine uerbi latini 'prolapsus' et graeci 'καταπεσών' in turpem errorem et ipsos prolapsos esse. bene Schlaegerus [l. l. p. 30]: 'quomodo trabs caelum et tergum asinum significare potest? si hoc uerum est, de quouis quiduis facere licebit'. omissa Iani Rutgersii [uar. lectt. 3, 8], qui de gibbo Domitiano somnianti enato somniauit, opinatione (eam recte refellit Schwarzius), ad tertiam interpretationem refutandam accingor. nam Barthius [adu. c. 16], Dousa, L. Muellerus [ad Lucil. III 50] trabem pro muttone accipientes et in partes uocantes Lucilii uersum 'non peperit, uerum postica parte profudit', Sulpiciam fecerunt dicentem, Domitianum non secundum communem naturae ordinem procreatum, sed a patre excacatum esse. non nego, a satirico poeta spurcum aliquem hominem ex spurcissima nostri parte prolapsum posse fingi; sed illud etiam atque etiam nego, patri posse attribui talem partum qui solius matris erat. si apud Sulpiciam legeremus tale quid 'non matris ab aluo, sed ano prolapsus est', omnia bene se haberent. et ita Heinius noster loco a L. Muellero adlato: 'hat den Afterweg genommen zu der Mutter Schreck und Scham'. nunc cum trabis et tergi uocabulis — ut hoc pro podice dictum patienter feramus — patris et matris in pariendo illo monstro munera inter se misceantur, omnis ista interpretatio recidit ad nihilum. reliquae uero explicationes a uiris doctis factae silentio possunt transiri. equidem in eandem, in quam iam olim Scriuerius, incidi suspicionem, hic ad notissimam illam [cf. Phaedr. I 2] de ranis regem a Ioue petentibus fabulam adludi, ita ut poetria in 'prolapsus' uoce ludens haec fere dicat: Domitianus non trabs, quam poetae fingunt, de caelo prolapsa et a ranis irrisa atque innocua est, sed homo prolapsus, id est, pessumdatus ideoque timendus. itaque cum quaererem in illo 'tergo' aptam huic sententiae uocem quae simul allitteratione uel alio modo illi 'trabe' conueniret, scripsi: 'non tra*bs*, sed *trico*

prolapsus'. qua cum coniectura egregie faciunt ea quae Suetonius tradit [Dom. 12]: 'exhaustus operum ac munerum impensis stipendioque, quod adiecerat, temptauit quidem ad releuandos castrenses sumptus numerum militum deminuere; sed cum . . . ., nihil pensi habuit quin praedaretur omni modo: bona uiuorum ac mortuorum usquequaque quolibet et accusatore et crimine corripiebantur . . . confiscabantur alienissimae hereditates' eqs. triconis uocabulo usus est Lucilius [XI 16 ed. L. M.]: 'Luciu Cotta senex, Crassi pater huiu panaethi, magnu fuit trico nummarius'. itaque hoc Sulpicia uelle uidetur, Domitianum, cum iam aeri soluendo non esset, philosophos, quorum bonis potiretur, expulisse urbe et Italia. huic opprobrio adiungit alterum: 'ingluuie albus'. quod etsi erant qui temptarent, bene tamen se habet. referendum autem ad luxuriam imperatoris [cf. Hor. sat. II 2, 21 'pinguem uitiis albumque']. et haec tradit de Domitiano Plinius [paneg. c. 48]: 'superbia in fronte, ira in oculis, femineus *pallor in corpore*, in ore impudentia multo rubore subfusa'. ad u. 37 cf. Uergilius [Aen. X 149] 'memorat *nomenque genusque*. ad uerba 'sapiens hominum nomen' cf. Marklandus [ad Statii silu. I 1, 10]. — 39 sq. *quid facimus? Graios † hominumque relinquimus urbes, ut Romana foret † magis his instructa magistris.* plerique interpretes hic philosophos eiectos faciunt loquentes, uerba 'quid facimus' interpretati 'quid nobis fit'. cui explicationi per se iam nimis quaesitae id obstat quod philosophi uerbis 'his magistris' et 'nostri senes' [u. 40] de se ipsi non potuerunt uti, quemadmodum post alios recte intellexit Bootius [p. 15], qui ita pergit: 'manet difficultas in uerbis *Graios hominumque — urbes*. Marklandus [ad Statii silu. IV 3, 20] locum uocat corruptissimum, cum omnes urbes sint hominum. Homerus initio Odysseae recte dixit: *πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα*, quod Horatius interpretatus est: mores hominum multorum uidit et urbes, sed si tollas *πολλῶν* et *multorum*, Homerus et Horatius inepte lo-

quentur. sunt qui homines dici putant Graecos ob humanitatem solos hominum nomine dignos, non solliciti de pleonasmo intolerabili, qui oritur iungendo *Graios* et *Graiorum urbes*. si poetae ipsius errorem tollere uellem, commendarem Cannegieteri emendationem: *Graiorum hominumue relinquimus urbes*'. nos igitur, qui quocunque poeta, siue antiquo siue recenti, tales ineptias indignas esse putamus, recensitis uanis interpretum conatibus, uideamus num ex emendatione auxilium possit peti. ultro autem patet, uerba esse Sulpiciae dicentis: olim Graecos philosophos arcessiuimus, nunc eidem in exilium mittuntur. ad quam sententiam poetria, quae modo uoce indignabunda, quasi tantum scelus duceret impossibile, ex Musa quaesiuerat: 'nunc igitur . . . excedere iussit?', ita, nisi fallor, transitum parauit ut exclamaret: 'quod facinus!' nam traditum 'quid facimus', ad quod defendendum Bootius praue Horatium [sat. I 1, 64 et 94] contulit, nullo modo a Sulpicia dictum est, cum huius et Romanorum nulla esset in eiciendis philosophis pars. in uerbis sequentibus rectam uiam iniit Iahnius cum coniceret 'olim requisiuimus urbi'. nam 'olim' propter illud 'nunc' in u. 41 plane est necessarium. facile autem librarius aliquis pro 'olim' legere potuit 'hoium', cum praesertim 'hominum' altero abhinc uersu scriptum memoriae eius inhaereret. sed si cum eodem Iahnio scripseris 'urbi', non iam poterit locum obtinere uersu altero id quod est 'Romana', ad quod ex tradito potius 'urbes' uocabulo suppleri debet 'urbs'. itaque cum neque 'Grai*as* urbes' propter sequens 'his magistris' scribere liceat et ipsum requirendi uerbum mihi displiceat, haec fere quamuis cunctabundus tempto: 'Graio*rum olim ecce petiuimus* urbes'. natum est autem 'graios' ex 'graior̄'. u. 40 'magis', quod sine causa suspectauit Iahnius, artius cum illo 'his' (sc. quam belli magistris) iungendum et eodem plane modo quo infra u. 50 positum aequat fere nostrum 'vielmehr'; cf. Cat. [68, 30] 'id, Manli, non est turpe, magis miserum est'. — 41 sqq. *nunc*,

Capitolino ueluti turbante Camillo ensibus et trutina Galli fugere relicta, sic nostri palare senes dicuntur et ipsi ut ferale suos onus extirpare libellos. M. Manlii, non Camilli, fuisse illud Capitolini cognomen, rerum Romanarum auctores consentiunt. itaque cum in historia notissima Sulpiciam errasse parum uideretur credibile, uocem 'Capitolino' emendando summouebant uiri docti. at enim ego, num librario an auctori tribuam errorem, adhuc dubius haereo, quippe qui quam leues in rebus historicis quamque in peccata uel pueris nostris indignanda propensi fuerint ueterum nonnulli (ex. gr. Florus, historicus confessus), probe sciam. de u. 41 initio ita rectissime Bootius [p. 11]: 'Gallos fugisse *ensibus* relictis, cum propter pluralem numerum ad ensem Brenni referri non possit, tam abhorret a veritate, uix ut mediocri poetae saeculi XV tribui possit. hinc praeeunte Schwarzio multi probant *lancibus* pro *ensibus,* quod tamen propter additum *et trutina* non placet. magis poeticum iudico, quod Withofio in mentem uenit *censibus,* quo nomine aurum a Romanis appensum recte designari poterat', quamquam saeculi XV poetam quem finxit libenter ei donamus. ad uerba 'censibus et trutina relicta' cf. Uergilius [Aen. I 553] 'sociis et rege recepto'. u. 42 'palari' uerbi forma actiua in eis qui aetatem tulerunt auctoribus Romanis non occurrit, sed eandem populi usu fuisse tritam, docent glossae ueteres iam a Caruttio adlatae apud Maium [Class. auct. t. VIII p. 418]: '*palo,* uagare' et [p. 471] '*palare,* uagare, errare'. omni autem tempore suspicionem mihi mouit illud 'palare dicuntur'. scio poetas Romanos haud raro 'dicitur', 'fertur', similia per sermonis quandam abundantiam ibi cum uerbo aliquo coniungere, ubi famae uel rumoris nulla erat ratio simplexque uerbum, ut hic 'palant', sufficiebat [cf. Marklandus ad Statii silu. V 1, 33]. in Sulpiciae tamen uerbis id desidero quo *coactos* philosophos errasse significetur, quemadmodum etiam Galli

fugam capessere inopinato Camilli aduentu cogebantur. certissima, puto, emendatione rescripsi 'adiguntur'. u. 44 bene Burmannus pro 'extirpare' correxit 'exportare'; nam 'ferale onus extirpare' uix habet intellectum. — 45 sqq. *ergo Numantinus Libycusque errauit in isto Scipio, qui Rhodio creuit formante magistro, cetera et illa manus bello facunda secundo.* in eis quae antecedunt nihil inuenio, ad quod uerba 'in isto' pertineant. lego itaque praecedente Cannegietero [l. l. p. 374] 'errauit in isto Scipio *quod*' eqs., hoc est: non recte igitur fecit Scipio quod se Panaetio tradidit excolendum. ceterum false Scipio dicitur praeceptore usus esse Panaetio, quem comitem potius in itineribus et domi amicum circum se habuit [cf. Cic. acad. II 2, 5; p. Mur. 31, 66]. Bootius autem ita [p. 11] disserens: 'foedissime erratur u. 45 sqq., ubi Scipio Africanus minor Panaetii discipulus tempore belli Punici *secundi* uixisse traditur', non audiendus est. tu illud 'secundi' cum ictu quodam pronuntia: statim Scipionis illius iunioris et Catonis tempora inter se opposita habes. neque enim mirandum est, quod ille ante hunc commemoratur; quae res propter sequentia euenit. iam illud 'manus bello facunda secundo' poetria, ut plerique intellexerunt, scripsit haud immemor Porcii Licini uersuum [Gell. XVII 21]:

> Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
> intulit se bellicosam in Romuli gentem feram. —

48 sqq. *quos inter prisci sententia dia Catonis scire deis magni fecisset utrumne secundis an magis aduersis staret Romana propago.* Sulpicia ob oculos habuit Horatium [sat. I 2, 31 sq.] 'macte uirtute esto, inquit sententia dia Catonis' et [od. III 21, 11] 'prisci Catonis'. u. 49 quod legitur 'deis' Iahnius scripsit: 'deos' P. V tradunt. est autem illud 'deis' propterea reiculum quod nemo bene sanus potuit disceptare, deisne propitiis an aduersis floruerit resp. Romana. igitur 'secun-

dis' et 'aduersis' ablatiui repetendi sunt a nominatiuis pluralium 'secunda' et 'aduersa'. ad inlustrandos uersus nostros multi attulere Catonis uerba apud Gellium [VI 3; Cat. fragm. ed. Jordan p. 21 sq.] seruata haec: 'scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere . . . . aduorsae res edomant et docent quid opus siet facto: secundae res aduorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo'. sed enim sponte apparet, quanta differentia intercedat inter locum Gellianum et nostrum: illic scire se dixit Cato, res secundas superbiam inicere hominibus; hic scire uelle dicitur, secundaene an aduersae res magis prosint rei Romanae. itaque Sulpicia ad aliam Catonis orationem spectare putanda est. recte autem Pithoeus 'deos' in 'adeo' mutauit. uerba 'Romana propago' sunt Uergilii [Aen. VI 871] — 51 sqq. *scilicet aduersis. nam cum defendier armis suadet amor patriae et † captiua penatibus, uxor, conuenit ut uespis, quarum domus † arce mouente, turba tegens strictis per lutea corpora telis.* si uelim enumerare cuncta uirorum doctorum ad expediendos uersus deprauatissimos tentamina, dies ut aiunt mihi deficiat. qui quam misere se torserint, uideas, si libet, apud Schwarzium in commentatione altera [p. 9—12]. nos, qui molesto singulos refutandi labore supersedere posse nobis uidemur, breui quid sentiamus proferemus. solus autem Caruttius, qualem fere medelam locus requirat, intellexit [p. 23], nempe uesparum et apium conflictum [coll. Plin. XI 18: 'impugnant eas (apes) naturae eiusdem degeneres uespae atque crabones'] hic commemorari. sed idem bonum inuentum pessima foedauit coniectura hac 'ut uespis apium domŭs arce mouentur'. sed praeterea 'arce' nude positum non minorem habet offensionem quam uersu sequenti illud 'tegens' absque obiecto quod uocant. et omnis opera nostra eludetur quamdiu

uerbis traditis solis immoramur: si uersum intercidisse statueris, quae antea densissimis obruta erant tenebris, statim lucem accipient clarissimam. pro 'mouente' P 'monetae' exhibet, quod quidam cupidius arripuerunt. sed cum in Monetae templo Capitolino uespas uel apes nidificasse nullis ueterum auctorum constet testimoniis, in 'mouente' uel 'monetae' uoce aliud latere mihi quidem persuasissimum est. Uarro [de re rust. III 16, 7] haec scribit: 'et ut his diis (Musis) Helicona atque Olympon attribuerunt homines, sic his (apibus) floridos et incultos natura attribuit montes.' poeticae licentiae permissum est, licet certi montes, ut Hymettus et Hybla, prae aliis insignes apium aluariis essent, quemcunque collem aliqua re nobilem tamquam earum domicilium laudare. mihi igitur sic fere Sulpicia dixisse uidetur:

> conuenit, ut, uespis *cum apium* domus arce *Monoeci*
> turbatur, concurrit atrox glomerataque regem
> turba tegens strictis per lutea corpora telis.

mutuata est autem illud 'arce Monoeci' ex Uergilio [VI 830]. et haud raro 'monoeci' uox in 'moneti' corrupta est. 'domus' uocabulo aluaria significaturi usi sunt et Uarro [d. r. r. III 16, 5] et Uergilius [Georg. IV 209]. de apium rege cf. Plinius [hist. nat. XI 17, 53]: 'mira plebei circa eum obedientia. cum procedit, una est totum examen circaque eum globatur, cingit, protegit, cerni non patitur'. ceterum quam facile librarius a 'turbatur' ad uersus sequentis initium potuerit aberrare oculis, uel me tacente perspicitur. ad uerba 'per corpora' cf. Bulaeus ad Ualer. Flacc. IV, 750. optimo autem iure Jahnius u. 52 uerba 'captiua penatibus uxor' signo adposito deprauata declarauit. quo enim iure uxorem domi relictam, domisedam, nominare licuit 'captiuam'? duarum potissimum rerum amore homines ad arma capessenda hoste ingruente impelluntur: patriae et familiae. huius autem commemoratio potest inferri

scribendo 'et *paritura* penatibus uxor'. — 55 sq. *ast ubi pax secura redit, oblita fauorum plebs materque una somno moriuntur obeso.* uice uocis 'pax' V P 'apes' tradunt. cuius lectionis defensores non reputarunt neque singulari numero hic locum esse ullum nec omnino hos uersus ad apes pertinere posse, quippe quae, ut bene Buherius [l. l. p. 258], nec fauorum unquam obliuiscantur nec somno moriantur obeso. dicit poetria, bello ardente Romanos plane apium instar concurrere, at pace restituta turpiter marcescere eosdem. itaque pro 'apes' egregie L. Muellerus [d. r. m. 317] reposuit 'res', comparans uersum Uergilii [I 563] 'res dura et regni nouitas me talia cogunt'. porro 'fauorum', pro quo 'suorum' V, apte Heinsius mutauit in 'laborum'. u. 56 P V 'plebs fraterque' tradunt. quibus persuasi, his uersibus de populo Romano agi, ei haud grauate Dousa auctore rescribent: 'plebs patresque'. 'somno moriuntur obeso' interpretor: inertia atque ignauia marcescunt. ita Uelleius Paterculus [II 1, 1]: 'in somnum a uigiliis conuersa ciuitas'. 'obesus' autem cum sit 'pinguis', equidem somnum obesum eodem plane modo dictum puto quo dixit Ouidius [Amor. I 13, 7]: 'nunc etiam somni pingues'. — 58 sqq. *hoc fabella modo pausam facit. optima, posthac, Musa, uelim moneas, sine qua mihi nulla uoluptas uiuere, uti quondam † Smyrna libusque peribat, nunc itidem migrare uelit.* illud 'pausam facit' poetria scripsit priscorum poetarum imitatione, ut Ennii [ed. Uahlen, Ann. 572], Lucilii [I 11 ed. L. Mueller], aliorum. uerba corruptissima 'quondam Smyrna libusque peribat' multae editiones ex Pithoei coniectura ita exhibent 'quondam Lydus dum Smyrna peribat'. Lydum autem hominem alii, ut Burmannus, explicauerunt Homerum, qui propter tyrannidem uel in exilium eiectus patria cesserit (de qua tamen re silent ueteres), alii, ut Cannegieterus, Hipponactem uersuum σκαζόντων auctorem intellexerunt,

miris modis huic Lydi cognomen uindicantes. quos id ipsum, quod u. 6 Clazomenius audit Hipponax, edocere potuit sententiae suae uanitatem. nobis ante omnia hoc quaerendum uidetur, de quanam re monita esse uelit Sulpicia. indicant autem uerba 'sine qua mihi nulla uoluptas uiuere', interrogasse eam, num in tam tristi litterarum artiumque liberalium statu Musa ipsa migratura sit. quod si recte posui, sequitur in istis quoque uerbis corruptis de Musae ex Smyrna fuga agi. demonstrauit autem Wernsdorfius in excursu docto [poet. lat. min. III, 493—496], summum Musarum cultum semper Smyrnae floruisse. ex hac igitur urbe, quam identidem a Lydis uexatam idem euicit Wernsdorfius, aliquando Musas cum sui cultoribus hoste inruente emigrasse, etsi non certis ueterum testimoniis scitur, at per se tamen oppido est probabile. itaque repono: 'quondam *dum Lydis* Smyrna peribat'. de constructione cf. Claudianus [d. laud. Stil. II 256]: 'me quoque uicinis pereuntem gentibus'. u. 61 pro 'uelit' ad sententiam a nobis positam conuenienter Burmannus 'uelis' coniecit. sed enim tale '*uelim* moneas, migrare *uelis*' intolerabile est. itaque restitui '$\overset{\text{li}}{\text{uet}}$', id est, 'liuet' vel 'libet'. — 61 sqq. *uel denique quiduis tu, dea, quaere aliud: tantum Romana Caleno moenia iucundos pariterque † auerte Sabinos.* uerbis 'uel denique — quaere aliud' poetria caedem tyranni innuere uidetur. male illud 'auerte' in suspicionem uocauit Iahnius. recte Bootius collegit inuersionis exempla Uergiliana haec [ecl. VII 47] 'solstitium pecori defendite' et [Georg. III 155] 'nunc (pestem) arcebis grauido pecori'. adde tertium hoc 'suscipite Aenean et tandem arcete periclis'. 'Sabinos' intellege praedium in agris Sabinis; ita Horatius [od. II 18, 14] 'satis beatus unicis Sabinis'. haec autem sententia poetriae est: siue tibi, Musa, emigrare libet siue aliud capere consilium, id unum te rogo, ut nunc Calenum meum in tuto colloces, quippe cui in notis se-

dibus periculum instet a tyranno. nemo adhuc perspexit, Sulpiciam non de se suisque rebus, sed de unius mariti uita sollicitam consilium tractare cum Calliope. quamquam sane uituperatione non caret auctor, quod hanc totius poematii summam tam paucis expressit. uidetur igitur Calenus studiis philosophicis et ipse deditus fuisse. — 65 *pone metus aequos, cultrix mea: summa tyranno ecce instant odia et nostro periturus honorest.* ad quae Bootius haec habet perdocta [p. 17]: 'nec *metus* plurali numero nec additum adiectiuum probanda sunt'. at habes pluralem numerum apud Uergilium [Aen. V 420] 'solue metus' et [XII 316] 'auferte metus' et Ouidium [met. V 363] 'depositique metus'. in adiectiuo autem 'aequos' iam Withofius olim iure suo haesit. nam metus *aequos*, id est, ueros nemo potest iuberi deponere, potest timores quamlibet magnos, dummodo uanos. hinc corrigo: pone metus *saeuos;* cf. Tibullus 'metu saeuo'. uerba 'nostro periturus honore est' interpretor: honore, quem semper nobis Romani habuerunt habentque, eueniet ut in iram indignationemque accensi tyrannum tollant. — 67 *nam laureta Numae fontisque habitamus eosdem.* loca illa a Domitiano Iudaeis data erant habitanda, ut Iuuenalis innuit [sat III, 12]: 'hic, ubi nocturnae Numa constituebat amicae, nunc sacri fontis nemus et delubra locantur Iudaeis' et paulo post 'eiectis mendicat silua Camenis'. hoc igitur ait Calliope, ut bene uidit Cannegieterus, non ita inde expulsam se, ut non consiliis polleat in perniciem Domitiani. — 69 *uiue, uale.* cf. Horatius [epist. I 6, 67] 'uiue uale; si quid nouisti' eqs.

Restat ut carmen tale, quale a poetria uenisse existimo, oculis legentium subiciam, additis simul uirorum doctorum coniecturis potissimis. ea autem, quae mihi propter ingenii paupertatem emendare non licuit, feliciore diuinandi uena praeditos persanaturos esse spero.

Heroicum Sulpiciae carmen.

Queritur de statu reip. et temporibus Domitiani.

Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas,
fabellam permitte mihi detexere paucis.
nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
consilium. quare nec carmine curro Phalaeci
nec trimetro Pario nec, qui pede fractus, iambo, 5
fortiter irasci didicit duce Clazomenio.
haec metra quin etiam, quondam quae milia lusi
primaque Romanas docui contendere Grais
et salibus uariare nouis, constanter omitto
teque, quibus princeps o facundissima calles, 10
aggredior: precibus descende clientis et audi. —
dic mihi, Calliope: quid nunc pater ille deorum
cogitat? an terras ad patria saecula mutat
quasque dedit quondam torpentibus, eripit artes?
nosque iubet tacitos et iam rationis egentes, 15
non aliter primo quam cum surreximus aruo,
glandibus et purae rursus procumbere lymphae?
an reliquas terras conseruat amicus et urbes,

---

uerba heroicum Sulpiciae carmen *ex Uolaterrano addidi*, Sulpitia incipit *V; de P uide p.* 6. || 2 detexere pacis *Heinsius* || 3 secessit *V* || 4 neque *V* | Phalaeci *Schlaegerus:* phaleco *V* phaleuco *P* || 5 Pario *scripsi:* iambo *P V* | iambo *scripsi:* eodem *P V* nec trim. nec qui fractus pede iambus eodem *Lachmannus* || 6 didicit *Uinetus:* discit *P V* || 7 haec metra *scripsi:* caetera *P V* | quondam quae *Heinsius:* quod denique *P V* quot denique mollia *Burmannus* || 8 Romanas *Uinetus:* Romanos *P V* | graiis *P V* || 10 o *Iahnius:* et *P V* | es facundissima collis *Scioppius* fac. polles *Burmannus* || 12 nunc *scripsi:* non *P* nam *V* || 13 ad *scripsi:* et *P V* in *Heinsius* | pristina saec. *Hoeuenus.* || 14 torpentibus *scripsi:* morientibus *P V* maioribus *Pontanus* maerentibus *Buherius* iam gentibus *Heinsius* morientis *Iahnius* mortalibus *Hoeuenus* || 15 etiam *P V* | tacitas *P* | egenos *P* || 16 aeuo *Auancius* || 17 procumbere *Pithoeus:* procur-

sed genus Ausonium Romlique extirpat alumnos?
quid? reputemus enim: duo sunt, quibus extulit ingens 20
Roma caput: uirtus belli et sapientia pacis.
sed uirtus, agitata domi, it socialibus armis
in freta Sicaniae et Carthaginis excidit arces
caeteraque imperia et totum simul abstulit orbem.
deinde, uelut stadio uictor qui solus Achaeo 25
languet ecus, set enim immota uirtute fatiscit,
sic itidem Romana manus, contendere postquam
destitit et pacem longis frenauit habenis,
ipsa domi leges et Graia inuenta retractans,
omnia bellorum terra quaesita marique 30
praemia consilio et molli ratione regebat.
stabat in his (neque enim his poterat constare sine ipsis):
haut frustra Ueneri mendaxque Diespiter olim
'imperium sine fine dedi' dixisse probatur.
nunc igitur, qui rex Romanos inperat inter, 35
— non trabs, sed trico prolapsus et ingluuie albus —
et studia et sapiens hominum nomenque genusque
omnia abire foras atque urbe excedere iussit?
quod facinus! Graiorum olim ecce petiuimus urbes,

---

rere *P V* ‖ 19 Romlique *Scioppius:* Romulique *P V* Remulique *Scaliger* Romique *Pithoeus* Romaeque *Bootius* Remoraeque *Iahnius* | extirpat *scripsi:* exturbat *P V* ‖ 22 it *scripsi:* et *P V* ‖ *uu.* 20. 21. 22 *in P V post* 15 *extant, transpos. Uinetus.* ‖ 23 excidit *scripsi:* exilit *P V* exiit *Pithoeus* exciit *Lachmannus* | artes *V* ‖ 25 uelit *P* | stadio *Tornaesiana:* studio *P V* | acheo *P* ‖ 26 ecus set enim immota *scripsi:* et immota secum *P V* senio *Heinsius* segnis *Frankenius* | fatiscit *Scaliger:* facessit *P V* ‖ 32 enim his *scripsi:* enim *P V* ‖ 33 haut *Cannegieterus:* aut *P V* at *Buherius* | Ueneri *Burmannus:* uxori *P V* ‖ 35 nunc aliter *Cannegieterus* | rex Romanos *Dousa:* res Romanas *P V* | imperat *Scaliger:* inferat *P V* temperat impar *Buherius* ‖ 36 non trabs sed trico *scripsi:* non trabe sed tergo *P V* in rabiem tetre *Buherius* non trabe sed tigri *Cannegieterus* | ingluuie alui *Scriuerius* ‖ 39 quod facinus *scripsi:* quid facimus *P V* |

ut Romana foret magis his instructa magistris: 40
nunc, Capitolino ueluti turbante Camillo
censibus et trutina Galli fugere relicta,
sic nostri palare senes adiguntur et ipsi
ut ferale suos onus exportare libellos.
ergo Numantinus Libycusque errauit in isto 45
Scipio quod Rhodio creuit formante magistro?
caeteraque illa manus bello facunda secundo?
quos inter prisci sententia dia Catonis
scire adeo magni fecisset, utrumne secundis
an magis aduersis staret Romana propago. 50
scilicet aduersis! nam, cum defendier armis
suadet amor patriae et paritura penatibus uxor,
conuenit (ut, uespis cum apium domus arce Monoeci
turbatur, concurrit atrox glomerataque regem 53 b
turba tegens strictis per lutea corpora telis);
ast ubi res secura redit, oblita laborum 55
plebs patresque una somno moriuntur obeso:
Romulidarum igitur longa et grauis exitium pax. —

Graiorum olim ecce petiuimus *scripsi:* Graios hominumque relinquimus *P V* Graiorum hominumne reliquimus *Cannegieterus* Graios olim requisiuimus urbi *Iahnius* | 40 foret manus *Burmannus* ‖ 41 nunc *Scaliger:* non *P V* | Capitolinis *Buherius*, improuiso *Withofius* ‖ 42 censibus *Withofius:* ensibus *P V* lancibus *nescioquis*, mercibus *Buherius* ‖ 43 Senis *V* | adiguntur *scripsi:* dicuntur *P V* ‖ 44 suos onus *Scaliger:* suo sonus *P V* | exportare *Burmannus:* extirpare *P V* ‖ 45 Numantinus Libycusque *Tornaesiana:* numantinas libycasque *P V* ‖ 46 quod *Cannegieterus:* qui *P V* ‖ 47 caeteraque *P V:* cetera et *edd.* | foecunda *Auancius* ‖ 49 adeo *Pithoeus:* deos *P V* deis *Iahnius* | fecit. sed *Uonckius* ‖ 51 deffendier *P* ‖ 52 paritura *scripsi:* captiua *P V* ‖ 53 cum apium *scripsi:* quarum *P V* apium *Caruttius* | Monoeci *scripsi:* monetae *P* mouente *V* ‖ *uersum* 53 b *speciminis gratia addidi: om. P V* ‖ 55 res *L. Muellerus:* apes *P V* spes *uel* pax *uulgo* | laborum *Heinsius:* suorum *V* fauorum *P* ‖ 56 patresque *Dousa:* fraterque *P V* materque *Pithoeus* ‖ 57 longa

hoc fabella modo pausam facit. optima, posthac,
Musa, uelim moneas, sine qua mihi nulla uoluptas
uiuere: uti quondam dum Lydis Smyrna peribat, 60
nunc itidem migrare libet? uel denique quiduis
tu dea quaere aliud: tantum Romana Caleno
moenia iucundos pariterque auerte Sabinos.
haec ego, tum paucis dea me dignatur et infit:
'pone metus saeuos, cultrix mea: summa tyranno 65
ecce instant odia et nostro periturus honorest.
nam laureta Numae fontisque habitamus eosdem
et comite Egeria ridemus inania coepta.
uiue, uale! manet hunc pulchrum sua fama dolorem:
Musarum spondet chorus et Romanus Apollo'. 70.

Iam quaerendum est de opusculi auctore. extant duo Martialis epigrammata [X 35 et 38], in quibus Sulpiciae, poetriae nobilissimae, cum Caleno marito tria lustra felicissime peracta multis praedicat. huius igitur Sulpiciae quin carmen nostrum sit, non dubitauere uiri docti. mihi prorsus aliter res se habere uidetur. licet enim poema iam plurimis sordibus purgatum non ita sit malum ut nonnulli uoluerunt, tamen a Martialis tempestate plane alienum censendum est. non urgeo, uaticinium illud [u. 66] de Domitiani morte uicina multo facilius

---

est grauis exitio *Cannegieterus* ‖ 58 hoc *Pithoeus:* hac *P V* haec *Scaliger* ‖ 60 uita est. ut *Schlaegerus* | dum Lydis Smyrna *scripsi:* Smyrnalibusque *P V* Lydus (Lydis *Heinsius* Lyde *Schlaegerus*) dum Smyrna *Pithoeus* ‖ 61 mene itidem *Withofius* nosne it. *Buherius* | libet *scripsi:* uelit *P V* uelis *Burmannus* uelint *Tornaesiana* ‖ 62 tu *Heinsius:* ut *P V* ‖ 63 facundos *V* | aduerte *Scaliger* pariter ne obuerte *Buherius* ‖ 64 dignatur et infit *Pithoeus:* dignarier infit *P V* dignarier istis *Withofius* ‖ 65 saeuos *scripsi:* aequos *P V* ‖ 66 ecce *Heinsius (uel* hinc): haec *P V* | honore est *P V* in ore est *Buherius* ‖ 67 fonteisque *V* ‖ 69 sua *Pithoeus:* tua *P V* ‖ finiunt Sulpitiae dicta *subscribunt P V.*

potuisse posteriore tempore quam illo imperante fieri: certissimum utique argumentum est sermo, quo conscriptus est libellus, latinus. longe autem serius quam quo Sulpicia uiuebat aeuum uerbi retractandi [uu. 3 et 29] usus redolet, coarguit uox 'constanter' [u. 9], demonstrat illud priscae antiquitatis auctores imitandi studium christianorum potissimum poetarum proprium [u. 50 'pausam facit'] et plebeia uox 'palare' [u. 43], conuincit denique Claudiani imitatio [u. 12]. ceterum hanc meam suspicionem firmare licet antiqui auctoris testimonio. Fulgentius enim in mythologiarum praefatione haec scribit: 'licet mulierum uerbalibus undis et causidici cedant nec grammatici mutiant, rhetor taceat et clamorem praeco compescat: sola est quae modum imponit furentibus, licet Petroniana subit Albutia. hac etenim alludente et Plautinae Saureae dominatus obdormit et Sulpicillae Ausonianae loquacitas deperit Salustianaeque Semproniae, quamuis praesens sit Catilina, melos cantanti raucescit'. hic in uerbis 'neque Sulpicillae Ausonianae loquacitas' nulla, ut mihi roganti beneuole affirmauit C. Bursianus, in codicibus differentia est, nisi quod Montepessulanus praue 'ausoniana' exhibet. cum autem Sulpicilla quaedam in Ausonii operibus non commemoretur*), Heinsius 'sua Bissulae Ausonianae' emendauit simulque omnem orationis aequabilitatem sustulit. nos qui probe tenemus, Sulpiciae uersus ex Ausonii quodam codice fluxisse [cf. supra p. 9], iam antiquo tempore illos Ausonii operibus adnexos fuisse statuemus. Fulgentio igitur, qui deminutiuorum amore nimio flagrans altero quoque loco [myth. I p. 598] Sulpiciam a Martiale laudatam Sulpicillam vocat, huius libellum in Ausoniano codice a se repertum ipsi Ausonio tribuenti

*) nam Fulgentium ad Ausonii uerba haec [p. 214 ed. Bipont.] 'prurire opusculum Sulpiciae, frontem caperare' (quae Iahnius in testimoniis de Sulpicia afferre omisit) nullo modo posse spectare, ultro apparet.

facile ueniam donabimus. nemo enim eo usque progredietur, ut reuera ab Ausonio, a cuius ingenio et scribendi ratione toto ut aiunt caelo distat, carmen nostrum compositum esse dicat. ceterum notum est, quot spuriis corpus poematum Ausonianorum permixtum sit; cuius rei uel antiquissimus eius codex Uossianus praebet documentum [cf. A. Riese, anth. lat. II praef. p. XVII]. nescio autem an nullum prudentius de carmine nostro iudicium prolatum sit quam a Fulgentio, homine ceteroquin nugacissimo. nam loquacitatis crimen certe in totam istam praefationem [uu. 1—11] quadrat. itaque ego sic statuo, poematium nostrum non multo post Ausonii tempus compositum esse a tirone quodam, qui lectis Sulpiciae opusculis (ea enim, ut Ausonii, Sidonii Apollinaris, Fulgentii testimonia docent, semper in fauore hominum erant) summum eius in maritum amorem depingere et ipse cupiens egregiam in Domitiani de philosophis abigendis edicto ansam nactus sibi uideretur. hoc enim carminis esse summum, ut Calenus tutus euadat a tyranni insidiis, supra demonstrauimus. idem autem tiro gratiam fetui suo apud homines conciliaturum se putauit metrum adhibendo heroicum, quippe quo Sulpicia alias non usa esset. hinc et uaniloquum illud exordium [uu. 1—11] et ipsam illam inscriptionem 'heroicum Sulpiciae carmen' repetemus.

Ienae, typis Fr. Frommanni.